

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

124. Menstruum Veneris Isaaci

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

## XXII. GENUS.

*Menstrua mineralia composita ex Aceto philosophorum aliisque Menstruis mineralibus simplicibus & rebus tingentibus prius fixatis.*

124. Menstruum Veneris Isaaci Hollandi,

*Cap. LXXXII. 3. Oper. miner.*

**F**ili jam te docebo conficere lapidem quem Deus nobis gratis dat. Scias quod hic variè conficitur, sed te docebo methodum quam didici à Patre meo.

Rx. Lapidis quem Deus nobis gratis dat (*Vitrioli Veneris*) quantum sufficit, quem solve aceto destillato (*philosophico*) sine fæces subsidere, dissolutum à fæcibus cautè decanta & filtra; acetum leni igne abstrahe, ut materia remaneat sicca. Siccata denuò solve aceto destillato, decanta, filtra & abstrahe, idque quater reiterandum usque nullæ amplius in solutione subsideant fæces. Tum leni igne destilla acetum usque materia ita siccet ut pulverisando facilè avolet in pulverem volatilem, atamen retineat spiritus suos, jam hæc ad calcinandum parata est. Fili scias materiam hanc natura sua esse stipticam & adstringentem partim volatilem, partim fixam, adeoque solvi aceto destillato, ut secum retineat spiritum subtilem Aceti, & una cum dicta spiritu calcinetur, subtilior fiat, melius aperiatur & solvatur, spiritus enim Aceti præ cunctis bene solvit. Vitriolum ita præparatum pone in Ampulla vitrea vel ovo, luta hermeticè, sed implendum est vas, ne locus adsit spiritibus sese elevandi, pone in Tripode & ibi maneat in calore temperato ad sese subtiliandum. Postea exime & pulverisâ materiam, pone  
in

in Cucurbita, appone Alembicum, cui annectè Recipiens, & ita ex Balneo destillabis quicquid destillari velit, destillabitur circiter 20 vel 25 dies. Tum destillatum sepone, faeces in fundo Cucurbitæ jacentes exime, contere subtiliter in lapide, quibus in solutorio positis affunde totam aquam destillatam, sigilla hermeticè, & totum in Balneo solvetur absque fæcibus, solum ex Cucurbita per Alembicum destilla in Balneo igne moderato, ut omnis aqua secedat, quam optimè serva; continua destillationem in cineribus, ut recipias elementum aëris in forma olei citrini valdè nobilis, & hoc fiet forti igne, aërem optimè clausum sepone per se prope Aquam. Faeces sanguinis instar rubicundas ex Cucurbita exime, & contere in pulverem impalpabilem in lapide, pone in Ampulla vitrea vel Ovo, sigilla, & repone per 30 dies & noctes in Tripode ad subtiliandum igne temperato, postea exime, contere in pulverem, & in solutorio affunde elementum aquæ (*superius destillatæ*) sigilla & pone in Balneo ut solvatur ut antea, solum per Alembicum destilla in cineribus (Recipiens ponatur in aqua frigida,) ignem auge per gradus usque tandem candeat, ita maneat per quinque vel sex dies, & interea temporis ascendet elementum ignis in forma olei rubri, sine per 3 vel 4 dies ut frigescat, tum remove Recipiens & optimè oclusum serva, &c.

#### Annotationes.

**V**aria habuimus in superioribus Vitriola graduata, quæ varia nobis præbuere menstrua. In hoc genere Vitriolum his omnibus præstantius conficitur. Componitur enim ex Vitriolo graduato vase clauso lege artis fixato, iterumque dissoluto in Aceto phil. ut per destillationem inde fiat menstruum antecedentibus præstantius. In Menstruorum Vegetabilium genere nono Vitriolum mercurii graduatum ex mercurio sublimato & sale circulato confectum in vase clauso reverberatur in pulverem fixum, qui deinde mercurii crocus, Vini phil. spiritu volatilifatus, menstruum reddit Vegetabile. Si idem Mercurii Vitriolum graduatum vase clauso reverberetur in præcipitatum fixum, posteaque non Vini phil. spiritu, sed aceto phil. vel alio quodam menstruo minerali dissolvatur, fiet inde menstruum hujus generis. Quod de  
Vi-

*Vitriolo mercurii dictum; hoc etiam de presenti Vitriolo Veneris intelligendum est in nostro Recepto; ubi Isaacus Vitriolum dictum aceto phil. dissolvit, depurat & graduat, quod deinde in tripode calcinat, id est figit; fixatum novo aceto phil. dissolvendum & volatilisandum est ante ejus destillationem, ut patet ex ejusdem menstrui descriptione alibi data.*

## 125. Menstruum Vitrioli Isaaci Hollandi,

*Cap. LXII. 2. Oper. min.*

Rx. **M**agnam quantitatem Vitrioli Romani, 10 aut 12 libras, plus minus, quantum voles, & solves Vitriolum in aqua communi; sine faeces subsidere, clarum ad congelandum pone in vase lapideo donec pellicula superveniat, tunc sine refrigerari ac stare triduum, ac habebis insignes lucidos lapillos cristallinos colore viridi. Lapillos illos exime, & pone in pusillis pateris vitreis in mundo Balneo ad siccandum, ac Balneum accendas eo calore, qualis est solis media æstate. Ac lapilli tui in album pulverem convertentur, quem pulverem solves in aqua communi destillata, & finito faeces subsidere, ac clare superne diffundas in testam mundam ut prius, ac pone denuò congelandas ut supra; id toties facito, donec nullas amplius relietas faeces videas, ubi album tuum pulverem hoc pacto laveris ac operatus fueris, certus sis vitriolum tuum rite præparatum esse. Jam recipe album pulverem Vitrioli, eumque indes ollæ vitreæ oblongo collo, ac collum sigillo Hermetis munias, ita ut nullus aër exspirare aut ingredi valeat, ac tum in testa cum cineribus cribratis pone super Fornace, ac ignem subjice, & sub Fornace lampadem ardentem pone, calorem addens qualis est solis medio Martio, atque hoc pacto retine, donec videas materiam tuam flavescere, ac retine in eodem calore donec perfecte ruffa fuerit, tum ignem paululum auge, id est, adhuc unam lampadem suppone, atque hoc pacto retine ad octo aut decem dies, ac tum vide an materia tua non incipiat rubere: Si rubere incipiat, ignem tuum auge; sine hoc pacto in eo ca-

P p

lore